

99 7 163









Disputationis XVI 5027

THESES

DE CLAVIBUS EC-
CLESIAE DEI:

Quas

ASPIRANTE IESU semper DEO!

SUB

Presidio Reverendi & Clarissimi Viri

D. SAMUELIS HUBERI
S. S. Theologiae professoris publici propo-
luit defendendas

M IOANNES VVEZELIUS.
Vitebergensis, S. S. Theologiae studiosus,
& illustriss. Elect. Sax. Alumnus

In

Celeberrimâ VVittebergenſium Academia, ad 8. diem Auguſti, Anno 1593.

VVITEBERGÆ

Typis Zachariæ Lehmanni.

M. D. XCIII.



REVERENDIS, CONSUL-
TISSIMIS DOCTISSIMIS ETHU-
MANISSIMIS VIRIS, ECCLESIAE ET REIPUB.
LUTHERANAÆ, quæ est in LUCCOVIA inferioris Lusa-
tiæ metropoli, Administris & præsidibus fidelissimis, Fratri-
bus & Amicis suis Christianis plurimum
colendis amandis

Theses hæc AMORIS & GRATITUDINIS
ergò dedicat

M. IOHANNES VEZELIUS.

I.



LAVERES, quas Iesus CHRISTUS Ecclesie suæ commendavit,
Iudicium denotant Ecclesiasticum, quod erga omnes Reipub.
Christiana Cives Exercetur.

II.

IUDICIUM vero ECCLESIASTICUM est
sententia Verbi & Voluntatis DE I, in nomine Iesu Christi omni-
bus ac singulis Ecclesie civibus pœnitentibus & impœniten-
tibus annunciata & applicata, quæ de irâ aut favore Dei, de peccato-
rum retentione aut remissione ad salutis adipiscendæ conservan-
dæq; studium urgendum commonefiunt.

III.

Concil. Trident. Sess. ca. 1. & can. 2. in lib. de Inst. Eccl. Ministris.

Errat hic in limine Pontifex Romanus cum cohorte suâ cucullatâ, quod hanc
Ecclesie auctoritatem, non de prædicatione Verbi, sed de iudicario quodam pro-
cessu ficticio, nescio in quo Sacerdotali charactere fundato intelligit. Ligare quan-
doquidem & solvere peccata nihil aliud est, quam prædicare & applicare Verbum
Dei, ut dixit LUTHERUS.

III.

Errat Idem, quando ex Ecclesiasticâ potestate SIBI jus quoddam Novarum
legum prohibitæ condendarum tribuit & arrogat: quando Gladium Magistratû
Politico commendatum pro libidine stringit. Ecclesia quippe CLAVIBUS non
gladio utitur: Eademq; solis à DEO præscriptis legibus unicè contenta ac quie-



997 163

S. AVC.

V.
AUCTOR iudicij Ecclesiastici Deus est; SOLUS ILLE auctoritate
PROPRIA remittit & retinet peccata: Solus ille habet clauem David, Ille
aperit & nemo claudit, Ille claudit & nemo aperit. Esa. 22, 22. Apoc. 3, 7.
Job. 12, 14.

VI.
Commisit autem hanc suam potestatem ECCLESIAE suae & ordina-
riè quidem Ministris legitime vocatis & verbum Dei dextrè proponentibus. Deut.
27, 12, 13, 14. Matth. 16, 19. Matth. 18, 18. Ioan. 20, 23. Ita quidem, vt I P-
S E sit qui liget & solvat: Ministri autem ^{diuini} & sermonem ligationis &
solutionis habeant. 2. Corinth. 5, 19.

VII.
U S U S clauium non alius est legitimus, quam qui V ERBO est prescrip-
tus: In nomine videlicet & auctoritate Iesu Christi: erga omnes & singulos Ec-
clesiae cives, prout conditio eorum, vel vita vel doctrina, requirit: quotiescunq;
necessitas flagitauerit, hoc est, quotiescunq; poenitentes aut impoenitentes, offe-
rantur,

VIII.
Sic Papa Romanus, ubi clauibus hisce foede abutitur, potius tyrannum Ec-
clesiae quam Episcopum agit, potius impostorem quam pastorem, potius diaboli quam
Christi Vicarium,

IX.
Efficacia clauium reuè usurpararum rata est in conspectu Dei secundum
promissionum diuinarum certitudinem, Matth. 16, 19. Matth. 18, 18. Ioan. 20, 23.
secundum perpetuam diuinae voluntatis constantiam, quae vult, ut omnes acta poenitenti-
ae credant & saluentur, aut sine poenitentia damnentur.

X.
Si verò usus earum est illegitimus, efficacia earundem nulla. Quandoquidem
cessante Dei verbo & efficacia eius cessat.

XI.
Interim si iuste usurpentur, vigetia harum non pendet à Ministri vel digni-
tate vel intentione, sed à Dei auctoris immutabili voluntate. Vnde Donatistarum
patet error, qui ex bonitate Ministri vigetia Ministerij Ecclesiastici olim me-
tiebantur, id quod moderno tempore adhuc factitant SchVVencofeldiani & Ana-
baptista: Vnde & Romanensium de bona vel mala Ministri intentione corrui-
delirium.

XII.
Ceterum Ecclesiasticum iudicium pro conditione Subditorum variatur. Cum
enim alij christiana Reipub. legibus obtemperent, alij minus: Hinc aliud condem-
nans est, aliud absolvens. Vulgò clavis ligans & solvens dicitur utraq; Ecclesiae com-
mendata est Deut. 27, 12, 13. Matth. 18, 18. Ioan. 20, 23. Ierem. 17, 10. Utriusq;
igitur usus in Ecclesia catu vrgeri debet.

A 2 XIII.

XII.

JUDICIUM CONDEMNANS est sententia Verbi divini, qua enormiter delinquentes æternæ damnationis filij, nisi resipiscant, pronunciantur, tum ex Ecclesiæ cætu ejiciuntur, ut ad pœnitentiam permoveantur. Et ita ligantur peccata.

XIII.

Est verò judicium illud generale & speciale.

XV.

GENERALE, quo in prædicatione Verbi publicâ omnibus in genere atrociter peccantibus ira Dei & maledictio æterna denunciatur, ut ad pœnitentiam redeant. Cujus judicij testimonia habemus Deut. 27, 15. & seq. Galat. 1, 8. 9. 1. Cor. 16, 22. 2. Theß. 3, 6. Tit. 3, 10. 2. Ioan. ep. 10.

XVI.

SPECIALE condemnationis judicium est, quo in specie, qui enormibus contaminantur flagitijs, solenni totius Ecclesiæ consensu maledicti enunciantur & ab Ecclesiæ commercio removentur. Exempla habemus 1. Corinth. 5, 1. Tim. 1, 20.

XVII.

Hic verò, ne temerè, ne nimis severè hujusmodi judicium usurpetur, sagaci opus est industriâ christianâ item mansuetudine. In executione igitur istius judicij justâ & legitimâ tum personæ, tum procedendi Modi probè considerentur.

XVIII.

PERSONAE huius judicij sunt, partim quæ subjacent judicio, partim quæ eidem præsunt, hoc est, judicanda & judicantes.

XIX.

JUDICANDA E persone sunt, quæ aut sceleratâ vitâ, aut perversâ doctrinâ Ecclesiam Dei manifestè & pertinaciter offendunt aut corrumpunt. Hujusmodi sunt in judicium istud vocandi. Hæretici ergo manifesti quotquot post salutare non resipiscunt admonitiones, neutiquam in Ecclesiæ gremio ferendi, sed vitandi ubiq; Tit. 3, 10. 2. Ioan. 10.

XX.

Ita & quotquot à Christiani professione sunt alieni. Sic Iudæi dignissimi sunt, qui ab Ecclesiæ Christianæ Repub. exautorantur. Sunt etenim manifestè blasphemi in Deum Patrem & Filium ejus Iesum Christum. Sunt item aperti fures & usurarij rapacissimi, nec non Christianis hominibus insensissimi.

XXI.

Si persone sunt insontes, desinit judicij **VIS**, licet nonnunquam exerceatur.

Hinc

Hinc nihil moramur Papicolarum Minās, Bullas & Fulmina: Quae inane duntaxat fulgur sunt ex pelvi, Maledictiones in proprium ipsorum caput recedentes, Nobis autem in salutiferam benedictionem vergentes. Pius enim omnia cedunt in Bonum Rom. 8, 28. Et beatos pronunciat Christus, qui propter nomen eius vel excommunicantur Ioan. 16, 1. vel alias persecutiones patiuntur. Matt. 5, 10.

XXII.

IUDICANTES personae vel iudicium Ecclesiasticum administrantes non sint una atq; altera tantum, nec unus solitarius Ecclesiae Minister, sed totus Ecclesiae coetus, tam auditores quam Ministri.

XXIII.

Ordo tamen observandus, ut iudicij administratio sit penes praecipua Ecclesiae membra, penes Seniores aut Consistorium Ecclesiasticum: approbatio vero & consensus penes reliquam plebem, Deut. 27, 14. 15. 1. Cor. 5, 4.

XXIV.

Errant igitur, quotquot privato arbitrio huius specialis iudicij actionem citra U. P. consensum & suffragium Ecclesiae suscipiunt. Damnatur Papa tyrannus, qui & in vita & resistente Ecclesia quosvis sibi adversantes anathematis & excommunicationis fulmine ferit.

XXV.

MODI deinceps, secundum quos in executione iudicij specialis proceditur, duo praescripti sunt: Primus est objurgatio: Alter est irrogatio poenae, quae reprehensionem irritam subsequitur. Matth. 18, 15, 16, 17.

XXVI.

OBIURGATIO primus procedendi modus est, quo REUS tum de magnitudine facti commissi, tum de severitate iudicij & irae diuinæ admonitus paternè corripitur, ut agnito delicto ad poenitentiam redeat. Adhibetur autem huiusmodi Reprehensio, pro ratione peccati perpetrati.

XXVII.

Si factum est Notorium & cum offendiculo publico conjunctum: publica & Solenni coram Ecclesia opus est admonitione, sicut Apostolicum & mandatum 1. Tim. 5, 20. & exemplum Galat. 2, 11, 14. habemus.

XXVIII.

Si factum est occultum, Cujus pauci sunt conscij: Tum non continuo publicandum est illud: sed videlicet pro affectione Lapsi, gradibus certis distincta, quemadmodum Matt. 18, 15, 16. proponitur, utendum.

XXIX.

Sin verò Reus nullis vel verbis vel monitis permoveri potest: ad alterum demum descenditur iudicij modum, poenae scilicet inflictionem.

POENAE INFLICTIO est alter in iudicio condemnationis Ecclesiastico modus, quo Reus post salubres admonitiones pertinax ad poenam Ecclesiae iustam trahitur. *Pœna illa leuior est aut grauior, illa suspensio, hæc Excommunicatio.*

XXXI.

SUSPENSIO est pœna iudicij Ecclesiastici, quâ homo in vitâ vel religione peruersa, contumaciter perseverans ad tempus à communione Sacramentorum & aliorum sacrorum officiorum arceretur, donec pœnitentiam agat. *Exemplum est de Mariâ sorore Moſis. Numer. 12, 14, 15.*

XXXII.

EXCOMMUNICATIO est pœna Ecclesiastici iudicij ultima & gravissima, quando aut sceleratus aut hæreticus præfractus solenni Ecclesiae consensu in nomine Iesu Christi à communione Sacramentorum & Societate fidelium separatus Satanæ dominio traditur. *1. Cor. 5, 4, 5-1. Tim. 1, 20.*

XXXIII.

Atq; hæc est ultima & tristissima pœna, qua Ecclesia SUOS REOS punit, quotiescunq; necessitas efflagitat. Si vero REI non tantum Ecclesiam offenderunt, verum etiam leges politicas violarunt, & Magistratus in Ecclesia, est Christianus & iustus, qui Sontes suos gladio e medio tollit: Tum rigidissima illa pœna aut omittitur aut mitigatur, pro ut Magistratus disciplinae suae partes obtinet. Plene ut in Veteri Testamento sine huiusmodi iudicario processu malefactorum per sententiam Magistratus ultione gladij tollebantur. *Deut. 18, 20. Deut. 19, 19.*

Et hæc de legitimo huius iudicij usu.

XXXIII.

FINIS iudicij **LIGANTIS** semper Ponus sit & ad commodum directus: qui tum Ecclesiae iudicantis, tum hominis excommunicati commodum intueatur.

XXXV.

Prior finis est Ecclesiae **PURITAS**. Cum enim modicum fermenti totam massam facile permeet suaq; acrimoni insiciat corrumpatq;: hinc Excommunicatus malitiosus Cateri timorem habent & ab huiusmodi flagitijs pœne severitate abstrahuntur. *Deut. 19, 20. 1. Tim. 5, 20.*

XXXVI.

Alter finis **CONVERSIO** & **SALUS** exauctorati esto: Non desperatis

rario & damnatio; Quamquam similis effecti impœnitentiæ hæc secum trahat. 1. Cor. 5, 5. 1. Timot. 1. 20. Num. 12, 14. 2. Thef. 3, 14. 2. Tim. 2, 25. 26.

XXXVII.

EFFECTA legitime Excommunicationis partim Ecclesiam judicem, partim hominem iudicio subiectum respiciunt.

I.

Ecclesie SALUS ita constat. Nam cum ob unius hominis flagitium, quod non punitur, sæpissimè totus coetus ad supplicium iudicij divini temporarium rapiatur (ut exempla testantur Biblica) sublatis sceleratis detrimentum Ecclesie & periculum præcavetur: Et HONOS Ecclesie præterea manet salvus & illibatus. Non enim criminari potest, quasi sit conjurata quædam fanaticorum factio.

XXXVIII.

2. Effectum quod exauctoratum respicit, variat: Estq; aut pœna temporaria solum, si resipiscit: Quâ divexatur à Satana tentationibus & conscientie pavore, vel alijs à Deo immisis calamitatibus, quibus caro eius subigitur ac domatur, ut deinceps Spiritui Sancto ad salutarem conversionem in animo eius ciendam locus esse queat. Aut si non resipiscit, aeterna consequitur excommunicatio & damnatio.

Et tantum de clave ligante dictum esto.

XXXIX.

IUDICIUM Ecclesie SOLVENS est sententia Verbi divini, qua homines fideles aut resipiscentes verè hæredes atq; cives regni cœlorum pronunciantur, tam in Ecclesie sinu fouentur. Et ita omnibus fidelibus atq; pœnitentiam agentibus remissio peccatorum offertur, cœli & Ecclesie ianua aperitur.

XL.

Execrande sunt hinc merita indulgentie papales: Quia nec in nomine aut merito Christi, sed in Papæ nomine & sanctorum defunctorum meritis offeruntur: Nec fidei mente, sed auro argentoq; accipiuntur & impetrantur.

XLI.

Ufus absolutionis omnino necessarius est, ut in illa conscientie hominum adversus carnis & Satana tentationes certum habere queant consolationis & salutis fundamentum. Damnandus & hic AntiChristus, qui ex clave solvens

94 A 7393
solvente torturam & carnificinam effecit conscientiarum. Nam ad satisfactionem propriam & merita Sanctorum deductis miseris hominum animulis omnem consolationis medelam, omnem salutis viam, in fide & merito Christi Servatoris unice positam, praescidit, praclusit.

XLII.

Porro iudicium absolvens est generale & speciale. **GENERALE**, quando in praedicatione verbi publicam omnibus in genere fidelibus & poenitentibus gratia & remissio peccatorum annunciat. *Marc. 16. 16. Act. 2. 38. Esa. 55. 1. 2. 3.*

XLIII.

SPECIALE est, quando in praedicatione Verbi privatam singulis in specie peccata agnoscentibus & sanctimoniam vitae pollicentibus clementia Dei offertur & applicatur. *Ezech. 34. 4. 2. Sam. 12. 13. Luc. 8. 48. Matt. 9. 2. Luc. 7. 48. Act. 16. 31.*

XLIV.

Errant itaq; qui simpliciter tollunt & damnant usum specialis, siue ut vulgo nominant **PRIVATAE** absolutionis: Sicut & illi, qui generali annunciatione Euangelij nulli credentium peccata remitti contendunt, sed fieri id (saltem in privata absolutione).

XLV.

Pertinet huc Excommunicatorum & lapsorum **RECEPTIO**, quando illi ab impietate sua conversi veris resipiscentiae documentis editis, ab excommunicationis poenam liberantur & in gremium Ecclesiae recipiuntur.

XLVI.

Et faciendum id toties, quotiescunq; quis delictum suum deploraverit. Ne lapsio desperationis ansa detur, ut praecipit Christus, *Matth. 18. 22.* & Apostolus *2. Cor. 2. 6.*

XLVII.

Errant proinde Novatiani & Cathari, qui post baptismum in mortalia peccata prolapsis veniam & remissionem peccatorum in Ministerio reliquam negabant.

XLVIII.

Ad publicam Excommunicatorum & lapsorum quod attinet poenitentiam in quibusdam Ecclesijs usitatam: illa non improbat, modo omnis προσωποληψία caveatur. Interim si maxime haec disciplinae forma non servetur: Veram tamen & ratam esse coram Deo, si persona lapsa privatim absolvatur, absolutionem non dubitamus.

FINIS.






ULB Halle

3

001 909 215







Disputationis XVI 5027
THESES
DE CLAVIBUS EC
CLESIAE DEI:

Quas
ASPIRANTE IESU semper DEO
SUB

Præsidio Reverendi & Clarissimi Viri

D. SAMUELIS HUBERI
S S. Theologiae professoris publici propo-
luit defendendas

M IOANNES VVEZELIUS.
VVitebergensis, S S. Theologiae studiosus,
& illustriss. Elect. Sax. Alumnus

In
Celeberrima VVittebergensium Academia,
ad 8. diem Augusti, Anno 1593.

VVITEBERGÆ
Typis Zachariæ Lehmanni.

M. D. XCIII.